

tionem tuam, qua me et ipsos propter me diligis, erga ipsos continuas, ac majorem re ipsa semper eis ostendas eiusque in dies magis beneficias, ac tuis gratias et beneficia cumulis, ut quotidianus magnis passibus in sanctitate et opere Apostolico progressiantur; atque hac ratione ego fecum in ipsis perseverem arctiusque persistam per crescentem in eis semper tuam gratiam et charitatem. Deus enim cum diligat creaturem rationalem, donum gratiae et dilectionis sive charitatis pretiosissimum et divinissimum eis infundit, quod non facit irrationalibus, ut celo, soli, stellis, dum eas diligit, id est ex amore creat, ornat et gubernat.

Hoc significat vero « ut dilectio in ipsis sit; » nam, ut ait Paulus: « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, » Rom. v.

Paulo alter Rupertus: Ut Spiritus Sanctus, inquit, qui est dilectio tua qua me diligis, in ipsis semper sit et firmiter permaneat. Sed hoc eodem reddit. Nam Spiritus Sanctus a charitate separari nequit, sicut nec ignis a calore. Quare cui datur charitas, huic datur et Spiritus Sanctus; et quando manet in homine charitas, tamdu manet et Spiritus Sanctus, immo tota S. Trinitas, ut dicit cap. xiv, vers. 23.

## CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Describit Christi passionem, scilicet vers. 1, captivitatem in horto; vers. 13, adductionem ad Annam; vers. 17, trinam Petri negationem; vers. 19, examen Jesu factum a pontifice, et alapam Jesu iusticiam; vers. 24, missionem Jesu ad Caipham; vers. 28, accusationem ejus apud Pilatum; vers. 33, examen Jesu factum a Pilato, qui deprehensum ejus innocentiam cum liberare satagit, conferens eum cum Barabba. Passionem Christi explicuit Matth. cap. XXVI et XXVII, hoc ergo breviter perstringam ea dulcataz quo Joannes habet propria et singularia.*

1. Ille cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, et discipuli. 2. Seiebat autem et Judas, qui tradebat eum, locus quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis. 3. Judas ergo cum accepisset cohortem, et a pontificibus et Pharisaeis ministros, venit illuc cum laternis, et facibus, et armis. 4. Jesus itaque sciens omnia quae ventura erant super eum, processit, et dixit eis: Quem queritis? 5. Responderunt ei: Jezum Nazarenum. Dicit eis Jesus: Ego sum. Stabat autem et Judas, qui tradebat eum, eum ipsis. 6. Ut ergo dixit eis: Ego sum: abiuerunt retrorsum, et cediderunt in terram. 7. Iterum ergo interrogavit eos: Quem queritis? Illi autem dixerunt: Jezum Nazarenum. 8. Respondit Jesus: Duxi vobis, quia ego sum: si ergo me quereritis, simite hos abire. 9. Ut imploraret sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. 10. Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum: et percussit pontificis servum; et abscedit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus. 11. Dixit ergo Jesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? 12. Cohors ergo, et tribunus, et ministri Iudeorum comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum: 13. Et adduxerunt eum ad Annam primum: erat enim soecr Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. 14. Erat autem Caphas, qui consilium dederat Iudeis: Quia expedit unum hominem mori pro populo. 15. Sequebatur autem Jezum Simon Petrus, et aliis discipulis. Discipulus autem ille erat notus pontifici, et introivit cum Jesu in atrium pontificis. 16. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, et dicit ostiaria, et introduxit Petrum. 17. Dixit ergo Petro ancilla ostiaria. Numquid et tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum. 18. Stabant autem servi, et ministri ad prunas, quia irrigus erat, et calefaciebat se: erat autem cum eis et Petrus stans, et calefaciens se. 19. Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis, et de doctrina ejus. 20. Respondit si Jesus: Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, et in templo

quo omnes Iudei conveniunt, et in occulto locutus sum nihil. 21. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt quæ dixerim ego. 22. Haec autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens: Sic respondes Pontifici? 23. Respondit ei Jesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? 24. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. 25. Erat autem Simon Petrus stans, et calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Numquid et tu ex discipulis ejus es? Negavit ille, et dixit: Non sum. 26. Dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus ejus, cuius abscedit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? 27. Iterum ergo negavit Petrus: et statim gallus cantavit. 28. Adduxerunt ergo Jesum a Caiphæ in praetorium. Erat autem manu: et ipsi non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha. 29. Exiit ergo Pilatus ad eos foras, et dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? 30. Responderunt, et dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidimus eum. 31. Dicit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicete eum. Dixerunt ergo ei Judei: Nobis non licet interficer quicquam. 32. Ut sermo Jesu imploraret, quem dixit, significans qua morte esset moriturus. 33. Introivit ergo iterum in praetorium Pilatus, et vocavit Jesum, et dicit ei: Tu es rex Iudeorum? 34. Respondit Jesus: A temetipso hoc dicas, an alii dixerunt tibi de me? 35. Respondit Pilatus: Numquid ego Iudeus sum? Gens tua, et pontifices tradidierunt mihi: quid fecisti? 36. Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traducerent Iudeos: nunc autem regnum meum non est hinc. 37. Dicit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicas quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex v. 27, audit vocem meam. 38. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exiit ad Iudeos, et dicit eis: Ego nullam invenio in eo causam. 39. Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis regem Iudeorum? 40. Clamaverunt ergo rursum omnes, dicentes: Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

1. HEC CUM DIXISSET JESUS, EGRESSUS EST CUM DISCIPULIS SUIS TRANS TORRENTEM CEDRON, UBI ERAT HORTUS, IN QUEM INTROIVIT IPSE, ET DISCIPULI EIUS. — Jesus finito ardenti sermone post eamnam, eoque prolixo (incipit enim cap. xiii, et hic finitus) quo Apostolis ultimum vale dixit, ad passionem et mortem properat, illique se offerit, et ultra occurrit vadens in hortum ibique expectans Judam et Iudeos, a quibus seiebat se capendum. Magnanimitatis hoc dedit exemplum, ut arenam locumque duelli cum morte, peccato et diabolo mox ineundi primus capessat, quasi certus de victoria & triumpho.

Hinc colligitur Iesum statim finito hoc sermone transisse torrentem, ac consequenter contentiolum Apostolorum de primitu, non post sermonem, ut vult S. Augustinus, sed ante eum confituisse. De hymno incertum est; nam eum a Christo et Apostolis decantatum fuisse post sermonem, insinuat Mattheus, dicens cap. xxvi, vers. 30: « Et hymno dicto, exierunt in montem Olivarium. » Autem sermonem vero hymnum fuisse dictum suadere videtur ratio, quod hic hymnus fuerit gra-

tiarum actio: statim ergo post eamnam et Eucharistiam cantatus fuit ante sermonem. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, in *Matth. cap. XXVI*, et Ribera hic. Vide Chronotaxim.

EGRESSUS EST, — e domo et oculaculo, ubi totum sermonem habuit et finivit. Franciscus Lucas tamen et alii censem partem sermonis a cap. xiv, vers. 31, ubi ait Christus: « Surgite, eamus hinc, » hucusque habitam fuisse post egressum e domo, in itinere versus torrentem Cedron, et tunc « egressus est, » expouli debet transgressus est.

TRANS TORRENTEM CEDRON. — « Torrens » proprio Cedron est rivus, ex aqua pluvia confluxu productus, qui bieme fluidi cum impetu, aestate siccatur, quales plurimos et ingentes vidi in Alpibus, et talis hic fuisse videtur. Unde Syrus verdict, *trans vadum Cedron*, quia vadari et pedibus transiri poterat. Torrens hic significat vehementiam et impetum Christo a Iudeis in passione illatum, sed illico transirentem. Igit ergo Jesus per torrentem, ut innuerit se ire in torrentem passionum, ait Jansenius, juxta illud *Psalm. cix*: « De torrente

in via bibet. » Unde nonnulli ophantur Iesum a Judaeis captum reductumque per torrentem, in eundem precipitatum fuisse, ait Adrichomius, in *Descript. Jerusalem*, num. 207, iuxta illud *Psalm. lxxii*, 1: « Salvum me fac, Deus, quoniam intraverim aqua usque ad animam meam. Influxus sum in limo profundi, et non ex substantia, » id est non est locus in quo subsisteret queam.

**CEDRON.** — Graece τὸν κέδρον, id est *cedronum*, quod torrens hic, hinc et inde plantatas habere cedros, ait S. Thomas et Lyranus. Favebatur Arabicus qui verbit *trans torrentem cedri*. Verum *« Cedron » est vox Hebreorum, non Graeca, quae Hebrei non cedrum, *haec enim dicitur στένη ορεύς*), sed obscuritatem, nigredinem, caliginem et tenebras significat, teste S. Hieronymo in *Loci Hebr. dictus* ergo est torrens hic *Cedron*, id est obscurus, at, vel niger, sive ab umbrestate loci: erat enim arboribus consitus; sive ab aquarum nigredine, sive a cadaverae combustoribus fuligine, de quo mox. Quare Cedron est nomen singulare, non plurale, ac proinde corrupte in Graecis legitur ὄρειον πλαγία *scilicet* cum legatus sit *τόπος*.*

Est hic torren<sup>s</sup> *situs* ab Oriente Ierusalem, inter eam et montem Oliveti, ac habitur per vallem profundam Josepham eamque foecundat. In hac valle, ait Adrichomius, in *Jerusalem*, num. 204, pili reges Juda, Asa, Ezechias et Josias templi combusserunt idola eorumque cineres in torrentem Cedron proiecserunt. Hinc valis communis totius civitatis eameterum erat, ubi vulgus et ignobiles omnes sepelebantur: extra urbem enim Judeos sepelein mos erat, ibique nunc Turcs sepelein. In haec quoque valle, die illa cunctis mortalibus tremenda, omnes undique homines ad extremum et generale iudicium sunt congregandi, ut a Christo iudice recipiant debita pro meritis premi quisque suis.

Mennini igitur Joannes torrentem Cedron: *primo*, ad historie exactam certitudinem; *secundo*, ob figuram: David enim cum suis fugiens Absalom, moestus transgressus torrentem Cedron, typus filii Christi eundem torrentem transgredientis, at non fugientis, sed offrentis se persequenti Iudea et Iudeis. *Tertio*, ut ostenderet se ire ad passionem, ut expiatet non sua, sed Adae et posteriorum eius peccata omnia, quantumvis immania, qualia in valle et torrente hoc committebantur. Torrents enim Cedron labitur per vallem Gehennam, ubi infantes a parentibus idolo Moloch immam paricio vivi cremabantur. *Quarto*, ut locum passionis vertetur in locum triumphi; nam et ex vicino monte Oliveti, ubi pati cepit oransque sudavit aquam et sanguinem, 40 die post resurrectionem triumphans ascendit in celum: atque in fine mundi rediturus ad iudicium iudex sedebit supra vallem Iosephat, *Iacob.* iii, 2, et supra torrentem Cedron, ut iudicet tam Judeos se persequentes, quam omnes

homines pro meritis: eos scilicet, qui passionis sue grati fueruere, adjudicando celo; qui vero ingrati, gehennæ, quam ad vivum representabat hinc valis Gehennom, per quam fuit torrens Cedron.

**UM ERAT HORTUS.** — quia in horto paradisi peccauit Adam, comedens postea vestitum, hinc peccatum ejus Christus expiare insipit in horto: « Ad pristinum enim recessum omnia oportebat, » ait Cyrilus. Addit Chrysostomus: « Etenim in horto tangam in carcere commemoratur, » ut scilicet, ait Theophylactus, « labore minus Iudeis se querentibus. » Subiungit Theophylactus tertiam causam dicens: « Orandi causa solitaria loca et silenti officinas querere solebat, » ut nos idem faciamus. Cetera dixi *Math. xxvi*. Symbolica nota Christum primo ivisse in desertum, *Math. iv*, inde per satæ, *Math. xii*; deinde in hortum hic, ut doceret nos ire ad satæ predicationis, inde ad passionem et crimen. Audi S. Ambrosius, lib. IV in *Lucam*: « Videle, inquit, quibus timentibus ad paradisum educamus. Nunc in deserto Christus est; agit hominem, instruit, informat, exercet, ungit oleo spiritali. Ubi videt robustorem, per satæ et fructuosa traducti, ut quando querantur Iudei quod discipuli ejus sabbato de sagete spicas vellerent; canit enim Apostolos suos in agro culto et fructuoso opere collocaverunt. Postea in paradise constitutum tempore passionis, quando transiit torrentem Cedron, ubi erat hortus.

**4. JESUS ITAQUE SCENS OMNIA QUE VENTURA** *Vers. 1*  
GRANT SUPER EUM (adlit. *et* sciens, ne quis putet ipsum insicium et invitum incidisse in manus Iudeorum, sed sciens, volentem ultra se eis tradidisse: unde et eis obiviam), PROCESSIT, ET DIXIT: QUEM QUERIS? — Judas iam osculatus fuerat Jesum osculoque signum dederat cohorti, ut Jesum caperent; sed noluit Jesus eo signo capi, ne invitus videretur capit. Omnipotens ergo vi divinitatis sue cohortem detinui locoque suo fixit, ut dato signo aum capiendum accurrere non auderent, imo non posset. Hinc Christus ultra eis obiviam intrepide processit, et rogavit: « Quem queris? » quasi eos incessans ad se invadendum.

**5. RESPONDERUNT EI: JESUS NAZARENUS.** — Non dicunt: Querimus te, sed Jesum. Ergo non agnoverunt eum, hoc osculo a Iuda indicatum et proditum, quia Jesus eos avaricia et cecitate percussit, ut presentem non agnoscerent, cum tamen ministri pontificum cum sepiori ante vidissent et audissent. Ita Chrysostomus, *hom. 82*: « Vides, ait, vim insuperabilem, quomodo in medio existens eos exceperat. » Et Cyrilus: « Potest ergo divina eniit, qui quanquam se querentibus offerret, minime tamen cognosceretur. »

**STABAT AUTEM ET JUDAS, QUI TRADEBAT EUM,** cum IPSIS. — Judas jam antecesserat cohortem, illi oscularetur Jesum; sed osculo dato videntes co-

heriem non accurrere ad Christum capiendum, sed immotam consistere, perfidie sua concusci, et impenitens obstinatusque reddit, non ad discipulos Iesu, sed ad cohortem, ut ab ea contra Jesum, cuius potentiam metuebat, defenderebet, ideoque cum ea a Christo in terram afflictus et prostratus est. Ita S. Augustinus, hoc Euthymius et Riberia conseruit Iudam accessisse ad Christum, eumqua osculum esse, postquam cum Iudeis in terram prostratus fuisset; quod cum etiam est probabile et majoriter Judeus impudentiam.

**6. UT ERGO DIXIT EIS: EGO SUM; ABIERUNT RETRORSUM.** — quasi vi spiritus et vocis Iesu dicens: « Ego sum, » repulsi, retroacti et supini in dorsum prostrati. Non enim prout antronsum in pectus ecederunt, ne vis prosternens aliunde, puta a tergo manare videbatur; sed retrorsum ut liquido constaret eos vi oris et sermonis Christi prosterni, nec illius faciem et sermonem ferre vel sustinere posse. Jesus enim dicens: « Ego sum, » refraevit eis memoriam nominis quod Deus sibi indidit, dicens Mosi, *Ezod.* in: « Ego sum qui sum, » q. d. Hoc est nomen meum, qui vos prosterne, et si velim annihili, quia « Ego sum qui sum. » Ergo « vos estis qui non estis; » nam omne vestrum esse non a vobis, sed a me continuo accipitis.

Tropologiam et allegoriam hujus fulminis proportionationis satellitum dedi *Math. xxvi*, 30.

**8. SI ERGO NE QUERIS, SINITE HOS ABIRE.** — Cur id jussi Christus? Respondet *primo*, quia ad ipsum spectabat, ut solus sua mortis homines redimeret quasi mediator, redemptor et salvator mundi. Ita Cyrilus: « Semovit, ait, a periculo discipulos suos, non ignorans ad se solum certamen illud et opus salutis nostræ pertinere; regnantis enim non servientes natura opus est. » *Secundo*, quia Apostolos destinarat sibi superstites, ut post mortem, suam resurrectionem, doctrinam et legem toto orbe promulgaret. *Tertio*, ut ostenderet suum erga eos amorem et curam, quo quasi bonus pastor ovium salutem curat, suam negligit, imo animam suam ponit pro ovibus, ut saepe illis vita daret. Hanc rationem insinuat Joannes vers. secundum, dicens:

*Vers. 6.* 9. UT IMPLEBRET SERMO, QUEM DIXIT (cap. xvii, vers. 12): QUIA QOS DEDESTI MIHI, NON PERDIDI EX EIS QUENQUAM; — id est non permisi perire illum ex undecim Apostolis, quos dedisti mihi, o Pater; nam Judas veluti filius perditionis, illi non fuit datus a te solito a Patre. Queres de qua perditione et morte loquitor Christus, animene, an corporis? Alii hanc, alii atiam: ego utramque accipio. Corpore enim perirent hic discipuli, quia cum Iesu magistro suo fuisse comprehensi et occisi, presertim quia Petrus cohorti resistit et Malchum vulnerarunt. Anima quoque perirent, quia infirmi et pavidi ob Iudeorum minas Christum negassent, aque ac negavit Petrus, itaque

ocoris a Iudeis et corpore et animam perdidissent: mortui enim fuissent in peccato mortali negotiis. Ita Rupertus, Cajetanus, Ribera, Franciscus Lucas, Toletus et alii.

10. ERAT AUTEM NOME SERVO MALCHUS. — No- *Vers. 16*

versi servi exprimit ad mysterium; *Malch* enim hebr., et chald. *Malcha*, unde *Malchus*, idem est *Malchus* *idem* *quod rex*; et erat servus Pontificis, significatque populum Iudeorum, quod quondam rex fuerat et liber, sed postea servus factus est pontificum et sacerdotum, qui eum suis traditionibus et exercitiis onerabant et preterea devorabant, ut vidimus *Math. xxviii*. Iste, Petrus et Apostoli predicti canebant Evangelium, dextram auriculam amitti proper infidelitatem suam et odium Christi, id est, surdus factus est ad audiendum Evangelium et ad audiendum ea que necessaria sunt ad salutem, donec eum Dominus converrat et ei auriculam restitut. Ita S. Cyrilus hic et S. Ambrosius in cap. *xlii* *Luc.*, et S. Hieronymus in cap. *xxvi* *Math.* Addit S. Ambrosius Petrum imitari voluisse zelum Phinees, qui principem Israel fornicante eum filiabus Moab occidit, ideoque pontificatum adeptus est, *Numer. xxv*. Minuit ergo culpam Petri amor et zelus erga Christum; peccavit tamen, quia inconsulto Christo gladium strinxit, presertim cum paulo ante ab ipso audisset, quod sponte iret ad passionem et mortem accipit.

12. LIGAVERUNT EUM, — a quo solvi velle debet. *Vers. 18*

8. Si ergo ne queris, sinite hos abire. — Cur forte erant in eis qui postea liberati ab eo dixerunt: « Diluvisti vincula mea, » ait S. Augustinus. Christus, si voluisse, omnia vincula Iudeorum facilis rupisset, quam Samson rupti stupore vincula Dalilæ, *Judic.* xv, 9, sed noluit: *Primo*, ut peccatum Adae mirexus et uniuscuiusque ex parte, quia enim primus adam nimis liberus manu ad pomum vetum extendit, hinc Christus secundus Adam manibus ligari voluit, ut Adae peccatum et cetera posterorum eius, quae fere manus committuntur, expiarentur.

*Secundo*, ut si fatus esset: Isaä enim qui fuit typus Christi, immolandus ab Abraham ligatus fuit; solebant enim victimæ ligari, ne immolatione relutarentur, *Genes. xxii*, 9.

*Tertio*, ut his vinculis amore nostri susceptis, injiceret nobis vincula charitatis, quibus nos traheret ad se redamandum, iuxta illud *Osee xi*: « In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. »

Pero, Judeos dure et crudeliter ligasse Christum liquet, tum ex odio immam quo ipsi eorumque heri pontifices ardabant in Christum; tum quod uilescit vellent prostrationem ignominiosam quam passi fuerant, et vim a Petro Malcho subiecte illatam. Plura haec de re dixi *Math. xxvi*, 33.

13. ET ADDUXERUNT EUM AD ANNAM PRIMUM: ERAT ENIM SOFER CAIPHE, QUI ERAT PONTIFEX ANNI ILLIUS. — Quares cur Judas et Iudei pri-

mum duxerint Christum ad Annam, non ad Caipham, cum a Caipha, utpote pontifice, judicandus esset, non ab Anna?

Respondeo: *Primo*, ut honorarent Annam, quasi seniorem et soorem Caiphae, quem proin die ipsa Caiphas & quasi patrem honorabat, » ait Euthymius, si ex eius consilio populum regebat.

*Secundo*, quia dominus Anna erat in via euntibus ad Caipham, ait S. Augustinus.

*Tertio*, quia Anna propter ceteris videtur optasse et procurare ut Christus caperetur. Unde satellites hi Christum et quasi in triumphum ducent, ait S. Chrysostomus, ut eum exultaret, ac vicissim aliquo xeno et munere ob adductum Christum ab eo donarent.

*Quarto*, ut Annam, qui vespere praecedente a ceteris senioribus ob frigus noctis domum dormitum ubiaberat, inde evocarent ad concilium universale, contra Iesum jam captum posteriore mane in domo Caiphas celebrandum.

*Quinto*, et potissimum, quia ab Anna Iudea fuit promissum preium venditionis Christi, scilicet tringita argentei. Adducit ergo Judas Iesum ad Annam, ut pro tringita denariis sibi ab eo promissos accipiat, ut de facto illum ab eo acceptip censem S. Cyrilus, idque colligitur ex eo quod in primo principium cum Iuda pacto de Christo prodendo, principes non numerantur 30 denarios, sed tantum promiserint, ut patet Math. xxvi, 15; hac nocte ergo accipit illos Judas in domo Annam, quos paulo post videns Christum Pilato tradidit, facti penitentia project in templo, Math. xxvi, 3. Nam in domo Caiphas eos accipere non potuit; tum quia Caiphas circa Christum, ut invenirent falsos testes, ut eum examinaret, ut concilium convocaret, etc., iti occupabatur, ut tempus non haberet agendum cum Iuda. Unde Judas non videtur cum satellitibus progressus ultra domum Annam, nec ingressus in domum Caiphas; nam si in ea fuisset Judas, sane eam ingredi ausus non fuisset Petrus, metu ne a Iuda proderetur; quia si Judas adfuisset, cum Petrus ter Christum in domo Caiphas negavit, utique vel publice eum falsi arguisset, vel secreto ministris monuisse Petrum fuisse secum discipulum Christi, ut eum comprehendenderent.

PONTIFEX ANNI ILLICUS — quia Romani presides sepe et subinde singulis annis mutantur Iudeorum pontifices novosque crebant, ut quotannis creantur novi coaecclesias; Iacet Pilatus hoc proprii habuerit, ut portaret in Calpham quem reperit, non mutaret. Quare Caiphas toto triennio, quo Christus predicavit, perpetuum gessit pontificatum.

Vers. 22. UNUS ASSISTENS MINISTRORUM DEDIT ALAPAM IESU. — Vide Augustinum, tract. 113, ubi connumeratis multis suppliciis quibus servus dignus fuerat, ait: « Quid enim horum per potentiam jubere non potuisse, per quem factus est mundus, nisi paternitatem nos docere maluisset, per

quae vincitur mundus? » Vide et dicta Matth. xxvi, 59.

Porro, Christus non porrexit alteram maxillam, ne videtur culpam agnoscere. Sic et Paulus Iesus injuste percutii a pontifice, ait ex zelo iustitiae: « Percutiet te Deus, paries deiblate, » Act. xxiii. Addit S. Augustinus, « Iesum non solum alteram maxillam iterum percussuro, sed totum corpus flagitum præparassero in ligno, » ut suum dogma, Matth. v, 39, facto sanctificet.

24. ET MISIT EUM ANNAS LIGATUM AD CAIPHAM PONTIFICEM, — q. d. Misserat autem Annas Iesum ligatum ad Caipham pontificem. Ita Syrus, Arabicus et Cyrilus. Est enim hic hystorologia. Nam Joannes quasi oblitus narrare misse est Iesum ab Anna ad Caipham, hic eam interserit, ut indicet quis fuerit pontifex qui examinavit Iesum, eni minister alapam dedit eidem, nimur fuisse Caipham, non Annam. Caiphas enim erat pontifex, non Annas; quare hic versus recto ordine pondens est post vers. 13, nam triplex negotio Petri et examen Iesu, omnia que post vers. 13 narrat Joannes, contingunt in domo Caiphae pontificis, non Annas, ut patet ex S. Mattaeo, capitulo posteriori.

28. ADDUCUNT ERGO IESUM A CAIPHA IN PRÆTORIUM, — scilicet in dominum et aulam Pilati, qui erat prætor, id est preses et iudex tam criminalis quam civilis Iudea. Ita legendum cum Romanis, Greco, Syro et Arabicо. Quare vitiosum codicem habuit S. Augustinus, qui, tract. 114, legit: « Adducunt ergo Iesum ad Caipham in prætorium, inde quo coactus est dicere aut Caipham in domum Pilati venisse, ut utrumque in eadem domo habitasse, cuius contrarium liquet ex Evangelio.

Porro omnis magistratus, cui parebat exercitus, dicebatur prætor, at Victorinus: a praesendo, ait Varro, quasi prætor, quod præfet iure et exercitu. Inde ejus domus et locus in quo ius dicebat, vocabularum prætorium; ibi ergo erat tribunus in quo reorum causa agebatur, idque pontifices eo duxerunt hic Iesum, ut a Pilato damnaretur.

ET IPSI NON INTROIERUNT IN PRÆTORIUM, UT NON CONTAMINARENTUR (ingressu in dominum presidis ethni et idololatriæ), SED UT (puri et mundi) MANDUCARENT PASCHAM. — « Pascha » hic non significat signum paschalem, ut volunt Chrysostomus et Cyrilus (hunc enim pride in cena iam comedebant), sed victimas paschales, quae per septem dies paschales immolabantur, ne enim non nisi a mundis comedí poterant. Vide hic hypocrisiam pontificum, qui videri volunt religiosissimi, cum sceleratissimi, imo christicidae. Unde exclaims S. Augustinus: « O impi et stulta exortis: habitaculo videlicet contaminarentur alieno, et non contaminarentur scelere proprio! » Vide S. Cyrilum.

31. NOBIS NON LILET INTERFICERE QUENQUEM. —

Hinc videtur quod Romani Iudeis, utpote iure helli subactis, abstulerint ius damnum et morte plectendi reos illudque sibi vindicarent; hoc enim omnino hec corum verba significabant. Ita Rupertus, S. Thomas, Jansenius, Suarez et alii.

Dices: Judgei lapidarum S. Stephanum et presipiterunt S. Jacobum. Respondeo id eos fecisse non ordinis juris, sed tumultu et furore populi. Unde Josephus, libro XX Antiquit., cap. viii, alias xv, asserit Ananum Pontificem fuisse pontificatus a preside Romano privatum, eo quod S. Jacobum jussisset occidi. Hinc et Act. xviii, Iudei Paulum non sunt aust occidere, sed occidendum tradidere Gallionem proconsul. Instabat: Pilatus jam dederat pontificibus licentiam judicandi et occidendi Iesum, dicens: « Accipite eum vos, et secundum legem vestram iudicafete. » Ergo id facere poterant. Respondeo, potuisse quidem pontifices id facere, sed nonnihil hanc licentiam Filii acceptare, sed tacito quasi dixisse: « Vos Romani abstulitis nobis ius gladii absolute; non lumen ergo illud in hunc uno casu, ut Jesum occidamus, usurpare. Aut ergo redditie nobis ius occidendi absolute, aut vos hunc cum aliis occidete. Tuelantur vero, quia volent Jesum, quasi seditionis et regnum Iudeæ affectantem, ignominiosissima morte pœcli, nimur crucifigi a preside Romano (Romani enim affectantes regnum crucifigunt), atque hujus Iesu nesci invidiam cupiebant a se in Pilatum transferre, ne a populo quem Jesu sciebant adductum, lapidarentur, aut convicis incescerentur.

Alli alter respondent, nimur S. Augustinus et Cyrilus, et ex his Suarez, III part. Quesit. XLVII, art. 4, non licuisse Iudeis occidere in festo Pascha ob festi solemnitatem, sed alias id eiſ liquesse. Riberá vero respondet Phariseos ex speciali et propria seca hoc observasse, ut neminem ad mortem damnaverent, ut refert Josephus, filius Goriani, libr. IV Histor. Iudeæ, cap. vi. Illi ergo specie religiosus dixerunt: « Non nobis hebet; » multi enim et precipui ex his qui mortem Christi procurabant, erant Pharisei, et quia auctoritatem apud populum habebant, eos alii imitati sunt.

32. UT SERMO IESU IMPLERETUR, QUEM DIXIT, SIGNIFICANS QUA MORTE ESSET MORITURUS, — nimur se tradendum Gentibus et ab eis crucifigendum. Hoc enim prædictit Christus, Joann. xii, dicens: « Etego, si exstatibus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. Eoc autem dixit significans qua morte esset moriturus. » Item Matth. xx, 18, et alibi.

33. INTROIVIT ERGO ITERUM IN PRÆTORIUM PIATUS. — q. d. Egressus erat Pilatus ad Pontifices, ut accusationem eorum contra Iesum audiret; qua audit, iterum ingressus est, ut de ea Iesum examinaret. Hoc significat non iterum (quod tamen omittit Syrus), scilicet regressum post egressum.

Et dixit ei: Tu es rex Iudeorum? — Suppone hic ex Luc. xxiii, 2, Pontifices cum viderent sola sua auctoritate non moveri Pilatum ad Jesum damnamendum, accusasse enim dicendo: « Hunc invenimus subvertentem gentem nostram et prohibentem tributa dare Caesar, et dicentes se Christum regem esse; » hoc tertium ut verisimilius ceteris arripiens Pilatus, rogavit Iesum:

« Tu es rex Iudeorum? » Cetera dixi Math. cap. xxvii, vers. 11.

37. TU DICIS, QUA REX SUM EGOS, — id est, ego vere rex sum Iudeorum, ut tu dicas, id est sum Messias sive Christus, ut etiam in fideliibus per fidem et gratiam eosque ad regnum celeste perducam. Hoc enim significat hic hebraismus.

Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati, — ut predicem veritatem evangelicam, que in tribus maxime consistit: Primo, in vera cognitio Dei, scilicet deos Gentium esse falsos et verum Deum esse unicum in essentia et trinum in personis, scilicet Patrem, Filium et Spiritum Sanctum. Verum enim est passio eius, sicut et bonum. Omne enim ens est verum, id est res vera, non ficta et in se bona. Quare Deus, qui est ipsum ens, juxta illud: « Ego sum qui sum, » idem pariter est ipsum verum et bonum, qui est ipse per essentiam entis, veritas et bonitas. Rursum Filius, qui procedit a Patre, ut Verbum, est ipsa veritas, non tantum entis, sed et mentis. Unde S. Augustinus: « Cum Jesus, inquit, veritati testimonium perhibet, sibi perhibet; ipso enim est veritas. »

Secondo, in cognitione incarnationis Verbi, ut scilicet Filium Dei esse missum a Deo Patre in eum et mundum, ut eum salvaret: quare neminem nisi per fidem in ipsum posse salutem consequi, juxta illud, cap. xvii, vers. 3: « Hic est vita eterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum. »

Tertio, in cognitione vere beatitudinis, scilicet eam considerare non in opibus, honoribus, deliciis, scientiis, regni terreni, ut doceant Philosophi; sed in regno celorum, id est in visione et possessione Dei. Unde summus predicationis Christi erat haec: « Penitentiam agit; appropinquavit enim regnum celorum, » Math. iii.

Dicit Christus se natum ad veritatem testificandam hoc fine: *primo*, ne miretur Pilatus quod se regem fassus sit, q. d. Hoc iussus sum, quia vere sum rex; debo autem testari veritatem, quia ad hoc natus sum; *secundo*, ut Pilatus cognoscat in omnem et integratim Iesum: haec enim in veritate consistit; *tertio*, ut eum submoneat justitiae, ut scilicet vere justaque causam suam julicet, non falsis Pontificium criminationibus et clarioribus vincere sinat, ut contra veritatem et justitiam se condemnet.

OMNIS QUI EST EX VERITATE, AUDIT VOCEM MEAM.

Ex veritate esse dicuntur <sup>veritatis</sup> studiosi et

cupidi, qui scilicet veritatem, hoc est, verum Ie<sup>m</sup>atum, verum Messiam veramque felicitatem et sautem, serio et cordate querunt eamque inventam omnibus posthabitis amplectuntur. Illi opponuntur: « Iis qui sunt... contentione, » Rom. ii, id est iis qui non nisi contendere, illigare et argutari contundunt, quales erant tum Philosophi. Hinc « esse ex veritate » idem est quod « esse ex Deo : » qui enim est Filius Dei, hic est filius veritatis; Deus enim est veritas, iuxta illud cap. viii, vers. 47: « Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis : » quia, licet ex Deo sitis per creationem, non tamen estis per electionem, fidem et gratiam. « Grafiā commandavit, que secundum propōsūm vocat, ait S. Augustinus. Qui enim accepit testimonium ejus (Iohannis Baptista de Jesu), signavit quā Deus vorax est, » Joan. iii, 33. Hoe quam verum sit, etiam voces hostium indicant. Scribit enim Josephus, lib. XVIII Antīq., cap. iv: « Eodem tempore fuit Jesus vir sapiens (si tamen eum virum fas est dicere); erat enim mirabilium operum pater et docto<sup>r</sup> eorum qui liberter vera suscipiunt, » etc.

Tacite Christū respondet Pilati objectionē: Si tu testimonium perhibes veritati, cur ergo pontifices et Scribe, qui sunt veritatis professores, te non audiunt, imo te persequeuntur ad necem? Respondet Christus: Quia ipsi non sunt ex veritate, sed ex mendacio; sectant enim falsas suas opiniones et cupiditates opum et honorum, quas eis suggerit pater eorum mendax diabolus. Unde Christus ei ait: « Vos ex parte diaboli esis, et desideria patris vestri vultis perficere, » ut me occidat, Joan. viii, 44.

38. Dicit ei Pilatus: QUID EST VERITAS? — Putabat Pilatus Christum esse Philosophum vel Prophetam, qui de veritate, scientia et sapientia more philosophico speculari et loqueretur. Itaque Jesus rogat quis sit illa veritas cui testandas se natum dixerat. Verum, quia hoc parum ad rem quam agebatur Pilatus, facebat, ut sa<sup>z</sup> a Jesu, quem videbat esse virum gravem, sapientem et insoncētem, expedire, excoagulat medium appositiū ad eum liberantū, scilicet ut in Paschate de more unum reum liberaturus, Jesus cum Barabba infami latrone conferret, ut Iudei Jesus sum potius quam Barablam liberari peterent. Relicto ergo Jesu in prætorio, foras erupit, ut Iudeis id ipsum proponeret.

<sup>Gaudi est</sup> Symbolice: quid est veritas? Respondet S. Augustinus in Sententiā, sent. 386: Veritas est ipse Deus, « qui est prima vita et prima essentia, uti est prima sapientia. Nam hec est illa incomparabilis veritas, quae lex omnium artium recte dicitur, et ars omnipotens artificis. » Idem, epist. 9: « Incomparabiliter, ait, pulchrior est veritas Christianorum quam Helena Graecorum. Pro ista enim fortius nostri Martires adversus hanc Sodomam, quam pro illa illi heroes adversus Trojam diu-

caverunt. » Imo Christus ipse primus pro veritate martyr occubuit.

Quid est veritas? Audi Lactantium, lib. De Ira Dei, cap. ii, tres ejus gradus assignantem: *Primus* gradus est, inquit, intelligere falsas religiones et abjicere impios cultus deorum humana manufabricatos. *Secundus* vero, perspicere animo quod unus sit Deus summus, cujus potestas ac providentia efficerit a principio mundum et gubernet in posterum. *Tertius*, cognoscere ministerium ejus ac munum, quem legavit in terram; quo docente, liberabit ab errore quo implicat tenetabimur, formaticus ad veri Dei cultum, justitiam disseremus.

Quid est veritas? « Ego sum via, veritas et vita, » ait Christus, Joan. xiv.

Quid est veritas? « Est præstantissimum bonum, » ait S. Basilius apud Antonium, in *Melissa*, cap. xxi. « Quid est veritas? Est Deus, ait S. Dionysius, utpote unum non multa secundum naturam. Verum quippe unum est, mendacium autem multiplex. »

Quid est veritas? « Est facultas res obumbras <sup>quintæ</sup> in lucem producens, » ait Philo, *videlicet*.

Quid est veritas? « omnium rerum fortissima <sup>sexta</sup>. est veritas, » ait Nazarenus, orat. 43.

Quid est veritas? « Est firma comprehensio <sup>septimæ</sup> entis in animo, » ait S. Chrysostomus, *videlicet*. Hinc illud Zorobabelis: « Fortis rex, forte vinum, forte mulieres, sed fortitudine, et regnum, et potestas, et majestas omnium seviorum. Beneficium Dei veritatis. » Quocirca Alphonse, rex Aragonie: « Veritas, ait, omnibus quidam immata esse debet; principum tamē preceipuum debet esse ornamentum, adeo ut ad fidem faciendam tantum habeat unum principis verbum, quantum privalorum iuris iurandum. » Ita Panormitanus, lib. I De Gestis Alphoni. Hinc ponitfer Aeronicus in Rationali scriptum gerebat: « Urim vetumim, » id est doctrina et veritas, Exod. xxviii.

Idem per umbras vident Gentiles apud Stobaeum, serm. 41. Unde Menander: Quid est veritas? « Veritas, ait, colli civis est, et sola fruitor convictu<sup>m</sup> deorum. »

Plato suuissimam narrationem veritatem esse dicebat. Jamblicus: « Veritas, ait, ut Graecum ejus elymon indicat, circa deos et incorruptam deorum actionem versatur. » Aschines: « Adeo validia est veritas, ut omnes humanas cogitationes superaret. » Plato rursum, lib. V De Legibus: « Veritas, ait, tam diis quam hominibus ad omnia bona dux est. Hujus quilibet, qui felix et beatus futurus est, ab eo particeps sit oportet, ut quam plurimum temporis verax in vita degat. » Trismegistus: « Veritas in solis æternis corporibus

justum est, turbant et obumbrant. » Unde illud: « Amicus Plato, magis amica veritas. » Idem: « Immortalis, ait, et eterna res est veritas. Non donat autem nobis pulchritudinem pauperrimam, neque a materia turbatur, neque corpore circumdatur, nudum, conspicuum, augustum, mutatio<sup>n</sup>is et alterationis expers bonum. »

Plutarchus apud Antonium, in *Melissa*, cap. xxi:

« Equalitas trutina, inquit, veritas autem rationis philosophiae examinatur. Ibidem Evagrius: « Veritatem facere, art, et avarum sepelire. » Et Democritus: « Pietas, ait, palam declaranda et veritas constanter defendenda est. » Et Epictetus: « Nulli veritate pretiosis haberi debet, ne amicitia quidem, utpote obnoxia affectibus, qui quod

justum est, turbant et obumbrant. » Unde illud: « Amicus Plato, magis amica veritas. » Idem: « Immortalis, ait, et eterna res est veritas. Non donat autem nobis pulchritudinem pauperrimam, neque a materia turbatur, neque corpore circumdatur, nudum, conspicuum, augustum, mutatio<sup>n</sup>is et alterationis expers bonum. »

Demosthenes rogatus: « Quid Deo simile habent homines? » respondit: « Benigne facere et veritatem anare. » Ita Valerius Maximus, serm. 8. Pythagoras dicebat « haec duo divinitus data hominibus esse longe pulcherrima, veritatem complecti et beneficis operam dare; utrumque enim immortalium deorum operibus comparari posse. » Ita Ælianu<sup>s</sup>, lib. XII *De Var. Histor.*

## CAPUT DECIMUM NONUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Narrat, vers. 1, Christi flagellationem, coronationem, purpuras, alapas, ostensionem populo sic clamanti Crucifige eum, quia Filiu<sup>m</sup> Dei se fecit, et vers. 12: Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris: qua <sup>te</sup> eos victimas Pilatus tradidit Iudeis Jesum. Ille ergo crucifigerunt eum in Golgotha, hoc titulus: Jesus NAZARENU<sup>s</sup> REX JUDEORVM; nos milites vestes ejus divisierunt. Inde, vers. 29, Jesus matri sue Joannem in flum assignat; vers. 28, clamat: Sitio; vers. 30: Consummatum est; et expirat; vers. 34, lances latus ejus aperitur indeque exiit sanguis et aqua. Denique, vers. 38, Joseph et Nicodemus Jesum ungunt, et in monumento novo sepelunt.*

1. Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. 2. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus; et ueste purpurea circumdederunt eum. 3. Et veniebant ad eum, et dicebant: Ave, rex Judeorū; et dabat ei alapas. 4. Exiit ergo iterum Pilatus foras, et dicit ei: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam. 5. (Exiit ergo Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum). Et dicit ei: Ecce homo. 6. Cum ergo vidisset eum pontifices et ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit ei Pilatus: Accipite eum vos, et crucifige; ego enim non invenio in eo causam. 7. Responderunt ei Iudei: Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filiu<sup>m</sup> Dei se fecit. 8. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. 9. Et ingressus est prætorium iterum, et dixit ad Jesum: Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei. 10. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te? 11. Respondit Jesus: Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi daūum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. 12. Et exinde quereret Pilatus dimittere eum. Iudei autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari. 13. Pilatus autem eum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum; et sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebreice autem Gabbatha. 14. Erat autem Parasceve Pasche, hora quasi sexta, et dicit Iudeis: Ecce rex vester. 15. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit ei Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices: Non habemus regem, nisi Cæsarem. 16. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur. Suscepserunt autem Jesum, et eduxerunt. 17. Et bajulans sibi crucem, exiit in eum, qui dicitur Calvaria locum, Hebreice